



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-214381-p0001-1

DFG



5477.

70.

202

THESES 1593, 3

21

# DE PROSCRIP- TIS IMPERII.

QVAS

ANNVENTE SACRO.  
*santa Trinitate*

PRAESIDE

*Clariss. & consultiss. viro Dn.*

VIRGILIO PINGIZERO,  
V.I.D. ET PROFESSORE

*Exercitii gratia proponit & pro virili  
propugnabit*

M. IOHANNES MYLIVS  
AVGVSTANVS

*Ad diem ult. Martij Anno 1593. in nova  
Acroasi ICtorum hora 7.*



J E N A E.  
Typis Tobiae Steinmanni.



AMPLISSIMO RERVM QVE  
*experientia præstantissimo viro Dn.*

MARTINO MIL-  
LERO REIPVBLICÆ  
IENENSIS CONSVLI  
PRUDENTISSIMO, FAV-  
TORI SUO SUMMÈ COLENDO.

D. D. D.

*M. Johannes Mylius.*



X 3 A

DISPUTATIO DE PROSCRIPTIS SIVE  
Bannitis Imperii.

THESES I.



V A M V I S V O C A B U L V M  
Banni varie à DD. nostris accipiatur *a*, ex  
constitutione tamen imperiali Bannum dici-  
tur & est judicialis censura, qua violatoribus  
pacis publicæ aqua & igni interdicitur ita ut  
à nemine in clientelam, fidem aut amicitiam  
recipi, ab omnib. verò impunè tam in persona quam rebus  
offendi possint *b*.

*a Nellus in tractat. de bannit. in proæmio.*

*b Geilius lib. 2. de pace publica cap. 1. n. 20.*

*2.*

Hujus Banni imperialis poenam nemo præter solum  
Cæfarem vel Cameram imperiale potest irrogare, & est  
universale, ita ut ab imperatore bannitus ubiq; terrarum in  
imperio pro bannito reputetur *a*.

*a Geilius lib. 1. de pace pub. cap. 6. n. 9. & lib. 2. cap. 1. n. 27.*

*3.*

Porrò ex duplice causa quis in bannum Imperii incidit,  
primò ob delictum fractæ pacis, quod ut commissum dici  
& sic actio ex constitutione pacis publicæ utiliter institui  
possit, tria potissimum requiruntur: 1. vis publica. 2. vis  
armata, quæ sit coactis & coadunatis hominibus. 3. dolus  
malus sive propositum & destinata voluntas offendendi:  
quolibet horum deficiente cessat pena pacis violatæ, puta,  
Banni imperialis, & ad penas tantum juris communis de vi  
publica ratione simplicis spolii agi potest.

*Geilius lib. 1. de pac. pub. cap. 7. per tot.*

*4.*

Sed & qui ex legitimis iudiciis & præsumptionibus aut  
A. 2 fama

fama publica de crimen fractæ pacis suspectus est, si ad purgandum se citatus obstinate non compareat, in bannum declarari & denunciari potest *a*; quod si tamen eiusmodi Bannitus ob contumaciam non purgantis se, post sententiam declaratoriam contumaciam purgare, & de sua innocencia pro obtainenda absolitione docere velit, audiendus erit *b*.

*a Ordinatio Camerae part. 2. tit. 10. Geilius lib. 2. de pac. publ. cap. 7. per tot.* *b Geilius lib. 2. de pac. publ. cap. 8. quia contumacia est fictum delictum atq. imaginaria probatio, qua ex presumptionibus proficiscitur; at sententia ex fictis probationib. lata non transit in rem iudicatam, ergo merito audiri debet per text. in l si qui adulterii C. Ad. l. Iul. de adult. Hippolit. in pract. criminis §. ordine n. 54. cum seq.*

5.

Secundò irrogatur pæna banni ob solam contumaciam etiam in causis civilibus, utputà si legitimè citatus non compareat vel iudicis præcepto non obtemperet *a*.

*a Ordinatio Camerae part. 3. tit. 43. §. 1. Geilius lib. 2. de pac. publ. cap. 5. n. 1. cum seq.*

6.

Etsi verò inter bannum delicti & contumaciæ, quoád declarationem & denunciationem nihil sit discriminis, quia utroq; casu bannitus omnium offensioni exponitur, & bona occupantibus conceduntur *a*; in effectu tamen plurimum differunt: sententia enim banni ob delictum definitiva est, *b*, ob contumaciam interlocutoria *c*, & in banno contumaciæ facilior est redditus in gratiam quam in banno delicti *d*.

*a Geil. lib. 2. cap. 5. n. 12. b quia iuris ordine servato, cum plena causa cognitione profertur, & crimen principaliter in iudicium deductum extremè definit, nec alia sententia postea expectatur, unde sententia condemnatoria, non petita legitimo tempore*

tempore revisione, effectum suum sortitur, & retractari nequit.  
c Bald. in l. 1. n. 9. & n. 12. C. de hered. instit. Geilius lib. 2. de pac. pub. cap. 5. n. 7. Boſſius tit. de bannitis nu. 3. quia causam principalem non definit, & ideo purgata contumacia revocari potest. l. quod iuſſit ff. de re iudica. d ordinatio Cameræ part. 3. tit. 46. §. Wo auch. & part. 2. tit. 18. §. So auch. Geilius lib. 2. de pac. pub. cap. 6. n. 4. cum seqq. ubi plures differentias recenset.

7.

Non solum autem singulares personæ, sed etiam tota universitas vel civitas ob delictum contra pacem publicam convocatis ciuibus deliberate, consulto & communicaio consilio perpetratum in Bannum imperiale declarari & denunciari potest, plerunq; tamen pæna Banni in pecuniariam convertitur propter innocentes, pupillos, minores, mulieres & prægnantes fæminas b.

a Geilius lib. 2. de pac. publ. cap. 9. n. 1. cum seqq. universitas enim dolum committere & proinde delinquere potest. l. metum. §. animadvertisendum ff. Quod vi aut met. caus. b Geilius d. cap. 9. n. 17. cum seqq.

8.

Sed & bannum repeti, hoc est, semel ob turbatam pacem publicam vel contumaciam in bannum imperiale declaratus iterato ex alio delicto banniri potest a.

a per text. in l. qui de crimin. C. de accusat. text. in l. 2. ff. de furt. Bald. in l. 1. n. 4. & 12. C. de hered. instit. Boſſius tit. de banni nullitat. n. 9. Iulius Clarus in pract. crimin. §. fin. quæſt. 16. vers. sed nunquid. & quæſt. 32. vers. tuſcis. Geilius lib. 2. de pac. pub. cap. 11. per tot.

9.

Quod ad effectum banni imperialis attinet, sciendum est eos qui ob violatam pacem publicam in bannum imperii incident, nec non eorundem receptatores esse extra protectionem & clientelam imperii eiusq; hostes & quasi trans fugas censeri atq; adeò ex numero civium Romanorum deliveri, maximè quando de illorum commodo agitur.

A

Geilius

Geilius lib. 2. de pac. pub. cap. I. n. 24. cum seq. Mynsing. obs.  
52. cent. 3.

10.

Quo fit ut non solum actionem instituere, sed etiam li-  
tem ante bannum cæptam in Camera prosequi & continua-  
re, ut & reconventionis beneficio uti nequeant *a*.

*a* Ordinatio Camerae part. 2. tit. 9. §. 2. Geilius lib. 2. de pac.  
pub. cap. 12.

11.

Ab alio tamen in ius vocati comparere & se defendere  
possunt *a*, adeò ut non valeat statutum quod Bannitus tam  
agendo quam defendendo audiri non beat *b*.

*a* Nellus in tractat. de bannit. in I. part. 2. tempor. quest. 62  
per tot. Geilius d. cap. 12. n. 16. cum seq. *b* Geil. d. cap. 12. n. 20. cū  
seq. Bald. in l. ut vim n. n. 3. ff. de iustit. & iur. defensio enim statu-  
to excludi non potest, cū sit iuris naturalis Clem. pastoralis de sen-  
tent. & re indic.

12.

Et prædicti quidem effectus locū habent in bannitis im-  
perii: cæterū quod attinet ad bannitos ab inferiore prin-  
cipe Romano è ducatu vel civitate, illi solum perdunt iura  
municipalia & propria illius civitatis, à qua proscripti sunt,  
non etiam cætera quæ sunt iuris civilis communis *a*.

*a* Schneid. in §. cum autem n. 12. cum seqq. instit. Quib. mod.  
ius pat. potest. sol. Geilius lib. 1. de pac. pub. cap. 6. n. 15. Iason in l.  
I. n. 4. cum seqq. C. de hered. instit. Vant. de nullit. tit. de nullitat.  
ex inhabilitat. mādati n. 51. Marād. in repetit. l. is. potest. n. 124.  
ff. de acquir. hered.

13.

Hoc adeò verum est, ut secundum communem DD. o-  
pinionem ne quidem in suæ civitatis territorio jus commu-  
ne amittant *a*. *a* Schneid. d. loc. Nellus in tractat. de ban-  
nit. in I. part. 2. temp. quest. 4. & quest. 5. Marant. in d. repetit. l.  
is potest n. 124. Iul. Clar. lib. 3. sent. §. testamentum quest. 20. ver.  
& hac quidem conclus.

14.

Hinc consequens est ut nec ex testamento nec ab intesta-  
to suc-

eo succedere secundum iuris communis dispositionem prohibeantur a. a Schneid. ubi sup. Nellus de bannit. in 1. part. 2. temp. quest. 37. & quest. 38. Clar. lib. 3. sent. quest. 19. & quest. 20. vers. & haec quidem conclusio.

15.

Præterea nec bona sua perdunt nisi crimen læsæ maje-  
statis sit commissum , aut statuto vel consuetudine aliud re-  
ceptum a. a Nellus in 1. part. 2. temp. quest. 11. Cagnol. in l. ea  
sola deportationis n. 7. ff. de reg. iur. Iul. Clar. in pract. crimin. S.  
fin. quest. 78. in pr.

16.

His tamen casibus , quibus bona confiscantur , nihilo-  
minus præsentia tantum non etiam futura bona in publica-  
tionem veniunt a. a Nellus in prima part. secundi temp. qst.  
18. Clarus d. quest. 78. vers. ulterius quaro. Bossius in tit. de bo-  
nor. publicat. post. n. 80.

17.

Sicut nec feudum nec Emphyteusis tam Ecclesiastica  
quam secularis a, nec etiam bona per testatorem alienari  
prohibita aut fidei commisso subjecta ad fiscum transeunt b.

a Geilius lib. 2. de pac. pub. cap. 14. Iul. Clar. d. quest. 78. vers.  
nunc videamus, b Clar. de quest. 78. vers. item quaro.

18.

Filio quoq; bannito pater peculum tam profectum  
a, quam adventicum b, item castrense vel quasi c retinet.

a Clar. d. quest. 78. vers. præterea quaro. b etiam id in quo  
non habet usumfructum secundum Clarum in d. quest. 78. vers.  
sed quid in adventitiis Didac. Covar. lib. 2. resolut. cap. 8. post. n.  
2. c per text. in l. 3. C. de bon. proscript. Clar. d. quest. 78. vers.  
quaro etiam Didac. d cap. 8. post. n. 7. Bossius tit. de bonor. public.  
post. n. 71.

19.

Elegans hic oritur quæstio , an marito bannito uxor do-  
tem repetere eamq; salvam habere possit? Et posse verius est,  
idemq; ad paraphernalia, aliaq, bona uxor's quæ testamen-  
to vel ab intestato aut alio quolibet iusto titulo ad eam  
pervenerunt,

per venerunt, extenditur a. a Pulchrè Geilius. 2. de pac. pub.  
c. 16. per tot. 20.

Imò præter illa etiam semissem bonorum constante ma-  
trimonio acquisitorum vendicare uxor poterit, si statuto  
cautum vel consuetudine receptum aut pactis dotalibus ita  
conventum sit, ut bona constante matrimonio undecunque  
acquisita sint inter coniuges communia a. a Geil. d. c. 16.

21.  
Et hæc quidem de effectis banni dixisse sufficiat, à quo ta-  
men bannitus absolvī potest, si offensō damna & interesse re-  
farciat, & Cæsari vel suæ maiestatis procuratori fisci satisfa-  
ciat a. a Ordinatio Cameræ part. 2. tit. 18. §. 1. & part. 3. tit.  
46. Geilius lib. 2. de pac. pub. cap. 18.

22.  
Regulariter autem absolutus à banno non solùm bonis  
verum etiam famæ & honoribus restituitur a. a Geil. d.  
lib. 2. c. 19. Nellus in tractat. de bannit. in 1. part. 3. temp. qst. 17.

23.  
Quod tamen de bonis nondum alienatis & honorib. ac  
dignitatib. adhuc vacantibus intelligendum est, secus est, si  
ante absolutionem vel restitutionem bona alienata, hono-  
res vel dignitates aliis collatæ sint, tunc enim restitutio non  
trahitur ad ius alteri quæsitum, nisi disertis verbis per prin-  
cipem fiat etiam quoad bona alienata, aut bannitus restitu-  
tionem consequatur per modum iustitiæ a. a Geil. d. c. 19.

24.  
Coronidis loco annexemus quæstionem illam an valeat sta-  
tutum disponens, quod bannitus possit impunè offendī? & valere  
affirmamus dummodò tale statutum fiat ex causa legitima, utputa  
si eiusmodi banniti ex gravi delicto, pro quo irroganda esset pæna  
mortis, non autem ex levi causa veluti pro debito pecuniario ban-  
ni pæna afficiantur a. a Iason in l. ubi paclum n. 15. C. de transact. Iul:  
Clar. lib. 5 sentent. §. homicidium. n 53. Placa lib. 1. delictor. cap. 36. n. 2. Carer.  
in practic. crimin. §. homicidium n. 20. late Menochius de arbitrar. iudic.  
lib. 1. quast. 90. per tot.

F I N I S.

Jura, Diss., 1579-1600



3

L  
Sb.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-214381-p0012-2

DFG

B.I.G.



8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0  
11 12 13 14 15 16 17 18 19  
B.I.G.  
THESES  
DE PROSCRIP-  
TIS IMPERII.

70.  
1593, 3  
21  
Q V A S  
ANNVENTE SACRO.  
sancta Trinitate

P R A E S I D E

Clariſſ. & consultiſſ. viro Dn.

VIRGILIO PINGIZERO,  
V.I.D. ET PROFESSORE

Exercitii gratia proponit & pro virili  
propugnabit

M. IOHANNES MYLIVS  
AVGVSTANVS

Ad diem ult. Martij Anno 1593. in nova  
Acroasi ICtorum hora 7.



J E N A E.  
Typis Tobiae Steinmanni.